

Epistola anatomica, problematica octava / Authore Johanne Henrico Graetz, ad ... Fredericum Ruyschium. [With his reply] De structura nasi cartilaginea, vasis sanguiferis arteriosis membranae & cavitatis tympani & ossiculorum auditus eorumque periostio.

Contributors

Graetz, Johannes Henricus, active 1694-1696.
Ruysch, Frederik, 1638-1731.

Publication/Creation

Amstelaedami : Apud Jansonio-Waesbergios, 1724.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/xnqdwkzq>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

EPISTOLA
ANATOMICA, PROBLEMATICA
OCTAVA.

Authore

JOHANNE HENRICO GRÆTZ,

Ad Virum Clarissimum

FREDERICUM RUY SCHIUM,

Med. Doct. Anatomiae ac Botanices Professorem.

D E

Structura Nasi Cartilaginea , vasis sanguiferis Arteriosis
Membranæ & Cavitas tympani & ossiculorum auditus
eorumque perioftio.



AMSTELÆDAMI,
Apud JANSONIO-WAESBERGIOS, 1724.

ESTOTLA

ALLEGORICAL, ROMANTIC, AND
LYRICAL POETRY

CATO

JOHANNES HENRICUS GRETZ

ALLEGORICAL, ROMANTIC,
LYRICAL, AND LYRICO-ALLEGORICAL

HENRICUS FUCHS

ALLEGORICAL, ROMANTIC, AND LYRICAL

POETRY

ALLEGORICAL, ROMANTIC, LYRICAL,
LYRICO-ALLEGORICAL, AND LYRICO-
ROMANTIC POETRY



ALLEGORICAL, ROMANTIC,

LYRICAL, AND LYRICO-ALLEGORICAL POETRY

CELEBERRIME

ET

EXPERIENTISSIME VIR,

Fautor Venerande.

ANatomicam scientiam qui in sola nominum cognitione constituunt, putantes illam perfectam, cognitis partium appellationibus, inspectisque earum figuris, impetrari posse, breve temporis spatium illi addiscendæ impendunt atque decernunt. Hanc ideo ex libris, spretis neglectisque omnibus Sectionibus, protrahere satagunt, judiciique suil libertatem cœca fide Authorum submittunt authortati. Huic docendæ quadrare credo viam illam egregiam & facilem, quam se adinvenisse vane gloriatur *Blankardus sub init. Anatom.* Cap. I. quaque mediante se totam Anatomiam brevi dierum spatio tyronibus monstrare posse ja^ctitat. Qui enim alios in sectionibus exercere posset, cum nullam ipse unquam celebravit Anatomiam, cum, quicquid boni suo scripto anatomico inferuit, non propriæ autopsiæ, sed aliorum omnino debeat industriæ?

Alii autem, eam demum veram & solidam scientiam Anatomicam judicantes, quæ non ex solis Anatomicorum libris, sed ex Cadaveribus humanis indefesso studio eruitur, opus clamitant immensi laboris, neque unius hominis vel seculi. Adeo ut Anatomiae exortum atque incrementum à retroactis pluribus ævis altius repetens, mirari cogatur limites ejus antea nimis circumscriptos per industriam variorum Antistitum æterna laude dignam in immensum, non tamen ad extremum usque, ampliatos; Insuper ipsum Anatomæ objectum intuens, multa incognita, multa obscura, multa dubia ibi deprehendat, quorum scrutinia posterorum etiam laceſſent operam.

Me quod attinet, ab eo tempore, quo præstantissimæ huic scientiæ studia mea, meque totum devovi, lætandi sæpius arripui occasionem, si quædam ex voto mihi indaganti succederent, tristitia vero haud raro totus turbatus fui, dum profundius abdita cultrum meum & labores fugerent, eatenus tamen semper felix, quod de exoptata

tissima in subiectis humanis conatus meos saepius reiterandi occasione gaudere queam, Teque, Vir Celeberrime, nactus sim fautorum, quem in casu anticipi consulere, seu privatim, seu publice, liceat. Etenim nunquam vel à Te recessi, vel publicum ad literas meas tuli responsum, quin de dubiis mihi exemptis, ignotis patefacatis, iteratisque favoris & benevolentiae signis certus esse & lætari potuerim.

Quod cum in memoriam redigo, tantum spei & fiduciae in tuam, Vir Celeberrime, ponere humanitatem cogor, ut dubitare nullatenus queam, quin hicce meus, Te tertia vice compellandi, ausus gratus & acceptus Tibi futurus sit.

Atque nuper quidem à Te mihi exhibitus *Nasus*, pro Cartilagineæ portionis divisionibus, septique narium constitutione accuratius lustrandis præparatus, ansam mihi dedit subolfaciendi, latere hic quædam oppido obvia, ad aliis vel non visa, vel ut superficiaria neglecta. Qua in re plenius confirmabar, cum Authorum monumenta cum tuis observationibus paulo studiosius conferrem. Hactenus enim ex omnibus, quos consulere mihi per otium licuit, scriptoribus, nihil aliud intelligere potui, quam substantiam Nasi cartilagineam in quinque diffindi partes. Sic apud Bartholin. *Anatom. lib. III. Cap. x. p. m. 350.* leguntur sequentia: *Cartilagines substantiam constituunt inferioris partis Nasi, suntque quinque. Quæ supremæ latiores nasi ossibus adhærent, & quo magis descendunt, eo molliores fiunt, adeo ut Nasi extreum substantiam habeat quasi partim cartilaginosam, partim ligamentosam. Tertia inter has media, septum constituit vel interstitium inter utrumque nasiforamen. His apponuntur aliæ duæ pinnas constituentes, & per membranosa ligamenta colligantur.* Eadem Tabulas Cl. Bidlo obvolvunt tenebræ, repetitque ipse Author cantilenam toties ab aliis ad tedium usque cantatam, sic enim modulatur *Tab. XII. Part I. Ex quintuplici cartilaginem appositione inferioris Nasi facies composita est: quæ omnes uno cartilaginis varie divisæ nomine intelligi possunt. Superiores duæ, nasi ossibus adhærentes, medium tertiam sive septum & laterales duas, alas admittunt. Omnes hæ cartilagines membranaceo involucro investiuntur.*

Quantamne præterea in me excitasti admirationem, quando Te cum intuebar artificiosissimam *Organi auditus interni structuram?* Tympani nimirum membranæ planum extensum. Ossiculorum quatuor mechanica catenula atque naturalis connexio, Labyrinthi semicirc.

circulares tres excavationes, Cochleæ spirales convolutiones, & quæ plura tunc notatu digna oculis meis subjiciebas, jucundo me, fateor, delectabant spectaculo, notabamque insimul nonnulla, etiam ab accuratioribus hujus organi, indagatoribus haud descripta. Non equidem me latet, *Du Verneyi & Schelhammeri* industriam osseæ hujus partis vere dædaleam fabricam, Nervorumque ibidem demersorum intricatas diramificationes ex intimis etiam cavernulis protraxisse & in apricum posuisse; sed mirabar simul à Celeberrimis illis viris, de Anatomicis bene meritis & indies merentibus, traditam vasorum sanguineorum, ibidem magno luxuriantium numero, trac-tationem adeo superficiariam & quandoque mere conjecturalem, cum tamen illam non minus utilem atque necessariam esse vel id teste-tur, quod omnem inde vitam, omneque nutrimentum accipient hæ partes. Vix enim attendi debere mihi videtur illa *Dn. Profess. Bidlo* opinio, etiam ex cathedra nuper, pluribus auditoribus præ-sentibus, promulgata, vasorum scil. sanguineorum operosum illud examen & accuratam eorum in cunctis partibus reptatus descrip-tionem de nihilo, prorsusque supervacuam esse, eo quod ratum fir-mumque jam sit, omnes partes iisdem scatere, quia nutriuntur; Cum assunto illo ratiocinio alias tota etiam Neurologia inutilis reddatur, quæ tamen ut maximi laboris, ita etiam summi usus est, quia nervorum per omnes corporis partes distributio pari probabili-tate ex earundem nutritione & sensu concluditur.

Absit tamen ille à dictis meis sensus, quasi prælaudati Viri omnes Arterias & Venas Auris internæ partibus denegarint, aliter enim constare ex illorum Icriptis poterat. Quippe *Dnus. Du Verney* plusquam accurate illorum vasorum ortus & diramificationes describere videtur, pronunciat enim, *cavatatem Tympani induc tam mem-brana, in quam vasa bene multa sparguntur, quorum aliqua fila-menta sunt rami istius Carotidis, qui in duram Matrem distribui-tur, cætera vero vase filamenta sunt illorum, quibus indicitæ sunt membranæ, quæ apophysis mastoidis sinuositates tegunt*. Quid quod? eadem vasea depicta exhibeat Figur. 1 Tab. IX. Mallei vero & incudis substantiam foraminibus quibusdam perviam esse, quæ aditum præ-bent vasculis, quæ nutrimentum ad ea deferunt, dicit; tandemque ipsam Cochleam & Canales semicirculares suis Arteriis & Venis haud privat, juxta illum enim, *Arteria illa, quæ in Cochleam intrat, ramum notabilem communicat Vestibulo, qui iterum ibi bisulcus evadit, dextrorum & sinistrorum tendens. Duo istirami subdivi-*

duntur communiter iterum in duos alios, quorum unus per portam vestibuli, duobus Canalibus semicircularibus communem intrat & in duo filamenta dispescitur, quæ in interiora horum canalium sparguntur: Ramusculus alter per portam Canalis medii superiorem intrat, & per alteram ejusdem portam in vestibulum revertitur. Ramusculorum horum in multis vestibuli interioris locis fit anastomosis. Venæ pari modo distribuuntur, addit vero horum vasorum delineationem Tab. x. Fig. vii. viii. Idem Celeerrimus Author.

Clarissimus verò Dominus Schelhammer vasorum sanguineorum ad auris interna diramificationis nullam quidem specialem adjicit descriptionem, dicit tamen Part. i. Cap. iii. § x. illa in Aurem penetrare manifestum esse, cum in recentibus cadaveribus membranulae, internam Conchæ superficiem vestientes, præ illis totæ rubeant. Negat vero Vesalio, vasa illa admitti per illud foramen, per quod egreditur dura portio nervi auditorii, quod est inter apophyses mastoidem & styloiden, quodque verum Aqueductum Fallopii esse Part. i. Cap. iv. §. xi. xii. non minus solide demonstrat, quam clare ostendit Cap. iii. §. xi. alium illum ex Aure ad palatum tendentem, ductum Eustachianum appellandum esse.

Verum enim vero, si ab una parte hasce Illorum Virorum descriptiones & delineationes, ab altera verò accuratius intueor vasa illa omnia stupendo Tuo artificio cerâ rubrâ repleta, non parva mihi apparet differentia inter illorum & horum reptatum, manifesto indicio, mentis potius oculis Anatomicos illos dicta vasa vidisse, & imaginatione, ubi sensus deficiebant, reliqua supplevisse.

Insuper quod cum Spigelio aliisque Nobile hocce par virorum statuat, Ossicula auditus membrana periostii carere, cum natura & usu illius membranæ pugnare mihi videtur. Naturæ quippe Periostii, juxta accuratissimum Dominum Cloptonem Havers Osteolog. nov. Discurs. i. p. m. 18. & seqq. talis est, ut dupli fibrarum serie doteatur, quarum inferiores à dura matre derivantur, rectoque ductu incedunt, superiores verò à tendinibus muscularum oriuntur, nullumque regularem obtinent situm, à dupli autem hocce periostii fonte adeo remota non sunt ossicula auditus, quin potius eidem proxima; Usus vero præprimis sex ossibus periostium ex mente ejusdem D. Havers p. m. 29. seqq. præstat, primo, ut tegat ossa; secundo, ut convehat spiritus in ossium substantiam, eaque sensibilia reddat; tertio, ut ponat ossium augmento limites; quarto, ut adjuvet conjunctiones ossium eorumque Epiphysium; quinto, ut connectat firmiter

ter capita & tendines musculorum cum ossibus ; sexto , ut ob sensibilitatem defendat ossa ab injuriis externis , quorum sane usum neutro præ reliquis corporis humani ossibus carere possunt hæcce auditus officula . Etsi enim *Dominus Schelhammer Part. III. Cap. IV. §. XIII. ex eo* , quod periostio reliquis ossibus concessò , natura simul sensum illis dare voluerit , ne quid subito & velut ex insidiis läderet , aut nobis imprudentibus corrumperentur , concludat , officula tali integumento opus non habere , quia neque ab externo malo ipsis quicquam erat metuendum , utpote in intima ossium cavitate absconditis ; nec acer humor illis illabi potest , cum in interno aëre suspensa librentur . Deprehendo nihilominus in dicto ratiocinio insufficientem usum periostii recensionem ; alteriusque momenti , in quo tamen cardo rei vertitur , superficiariam probationem , scil . officula auditus ita recondita esse in interioribus auris partibus , ut ab omnibus injuriis , tum aëris , tum humoris acriis , tuta & libera existant , cum contrarium mihi persuadeant , continua aëris in Concha contenti restauratio per ductum Eustachianum , humoris in eadem cavitate observata quantitas sat pro proportione copiosa , aliaque multa , brevitatis gratia hic reticenda .

Ast ne in enarrandis dubiis meis , quæ ex lectis Anatomicorum libris , & visis tuis accuratis & nitidissimis præparatis mihi suborta sunt , prolixior sim , Teque à magis necessariis detinendo , in publica commoda , quæ usque adeo cordi curæque Tibi sunt , peccem , id solummodo me illis intendere profiteor , ut ob oculos Tibi , Vir Celeberrime , ponam , que incerta & incognita sunt , quorum accuratior descriptio ab omnibus candidis rerum anatomicarum Amatoribus unanimi voto desideratur , & insimul humanissime à Te petam , ut ea , quæ circa cartilagineæ Nasi substantiæ divisiones , Septique narium figuram , vasa sanguinea per omnes auris internæ plagas nec non Tympani membranam dispersa , ut & Officulorum auditus periostium indefesso labore & felici autopsia concepisti , eruditio orbi haud diutius invidere , sed accuratissimis tuis delineationibus & explicationibus nota reddere & illustrare velis .

Hisce , ut quam felicissime valeas , meque , Te colentem & amantem , tuo amore foveas , voveo & rogo

Celeberrime Vir

Amstelodam die 1 Nov.
Anno 1696.

Tuus observantissimus Cultor

JOHANNES HENRICUS GRÆTZ.

FREDERICI RUYSHII RESPONSI O,

Ad Virum Expertissimum

JOHANNEM HENRICUM GRÆTZ,

In Epistolam ejus Anatomicam, Problematicam

D E

Structura Nasi Cartilaginea , vasis sanguiferis Arteriosis
Membranæ & Cavitas tympani & osseorum auditus,
horumque periostio.

Experientissime Vir ,



Ic est, vera atque genuina scientia Anatomica non ex solâ librorum lectione, neque ex cadaverum sectione unicè haurienda , sed utriusque studii amicabile requiritur connubium. Quod cum maxime Tibi cordi sit , adeo ut Authorum præstantiorum monumenta nocte dieque evolvas , & defunctorum viscera sedulâ scruteris manu , multa à Te sperandi & felicia quævis ominandi suppeditas rationem. Movent me hi tui mores ut reiponsionem ad literas tuas primo Novembr. præteriti anni ad me datas differre ulterius nequeam , publicis etsi demonstrationibus , praxi fervente , rebusque familiaribus sim occupatus.

Revocas autem primum ad incudem *Nasi constitutionem cartilagineam* ab Anatomiae peritis haud satis perspectam, atque descriptam, multò minus depictam ; Omnes enim , ut benè mones, Experientissime Vir , quinque tantum constituant partes Nasi cartilagineas, duas nempe superiores, atque latiores, Nasi partibus ossibus adhærentes, tertiam inter hasce medium partemque septi Narium cartilagineam constituentem , duasque inferiores, Pinnas vocatas.

Verum si quis suspensa manu perscrutinium hoc instituat, Nasi alas

alas non in totum, sed de minori parte cartilagineæ esse substantiæ, atque hujus plures dari interruptiones, quam hactenus Anatomici docuere, deprehendet. Sub parte Nasi ossæ, (quæ haud solum ex duobus osseis oblongo quadratis, sed etiam laterali superiorique parte paris tertii ossium Maxillæ superioris constat) ablatis integumentis, conspiciebatur *Nasi globus*, qui in duas partes facili negotio dehiscit, dummodo ligamentosi nexus auferantur, prout videre est Tab. 9. Fig. 5. A.

Hæc inter partes à se invicem nonnihil diductas in conspectum prodit pars septi cartilaginea, quam tertiam in ordine facit Bartholinus, Spiegelio autem prima audit, eritque mihi quoque prima Nasi cartilago, quia impar, cæteræ autem in utroque latere duplices visuntur. Dispescit autem hæc Cartilago inferiorem Nasi partem in duas plagas, firmiterque cohæret parti septi narium ossæ, interveniente tenuiore membranoso vinculo, quod ab ulcere facilissime dissolvitur, quo facto Nasus deformem atque planam acquirit figuram. Hoc septum cartilagineum neutiquam parte sui inferiore & extrema acutum, sed rotundum existit, ut liquet Tab. 9. Fig. 6. & 7. Est quandoque incurvum & in decrepitis non solum in ossæ degenerat substantiam, sed etiam sine medio unitur saepius cum undecimo osse Maxillæ superioris, Vomere dicto. Præterea consideratione dignum judico, septum hocce narium cartilagineum, non solum investiri Membrana Mucosa, verùm quoque sub hac immediate Membranula tenuissima. Hæc continuatio est periorum, Nasi partem ossæ obducentis, atque Perichondrium dici meretur, dotataque deprehenditur suis arteriolis, præprimis si claræ luci exposueris & subjectum novâ meâ methodo præparatum fuerit, sicuti nuper in Collegio privato ostendi, & Tab. 9. Fig. 8. exhibet. Membranulâ hac tenuissimâ dilaceratâ, aut abruptâ difficile nova regeneratur & multum negotii facebat Chirurgo. Illa autem, seu tunica mucosa, septum obducens, Arteriorum ramusculorum myriadibus superbit, ut, factâ accuratâ indagine, liquet Tab. 9. Fig. 6. Horum extremitates nuper ostendi adeo subtile, ut instrumentis opticis vix attingi potuerint, unde mirum non est, tam frequenter digiti apice hæmorrhagiam excitari. Scatet quoque hæc tunica mucosa copiosis glandulis. Vid. Tab. 7. Fig. 7.

Secunda & Tertia Nasi cartilago Fig. 4. A. exhibitæ, triangulares, par primum constituentes, latere superiore connectuntur Nasi parti ossæ ope ligamentosi nexus, sensimque deorsum procedentes, parte anteriore in angulum acuminantur & parte inferiore excipiunt

piunt cartilaginem *Quartam* & *Quintam* seu par secundum, quæ ab aliis quidem neglectæ, sunt breves, latitudine tamen respondentes latitudini paris secundi supra memorati. Vid. Tab. 9. Fig. 4. B.

Cartilago Sexta & *Septima* par tertium constituentes, jamjam memoratis cartilaginibus nempe quartæ & quintæ, latere posteriore cohærent, suntque præter propter figuræ quadrangularis. Vid. Tab. 9. Fig. 4. C.

Sequuntur has *interruptiones cartilaginea Octava* & *nona* seu par quartum, folia minora Periplocæ scandentis nonnihil æmulantes, quæ in utroque extremo sunt cuspidatæ & in appendiculam tenuem deorsum reflexam, foliorum dictorum pediculo subsimilem, desinentes, circa finem tandem proxime sibi appropinquant & lateri utriusque septi adstant, ceu pediculi foliorum constæ, desinuntque in crenam labii superioris Vid. Tab. 9. Fig. 4. D.

Portio reliqua maximam *Pinnarum* partem in utroque latere constituens, non cartilaginea, sed mere membranacea est, quamvis satis crassa. Vid. Tab. 9. Fig. 4. E.

Quod verò secundum literarum tuarum momentum attinet, Experientissime Vir, nempe vasorum sanguineorum membranam Tympani perreptantium delineationem, difficile hoc negotium fateor toties à me exegisti, ut æquo vultu diutius illud Tibi dengare nequeam, arduum tamen omnino fuit, non solùm dicta vasa in conspectum producere, sed & propter subtilitatem, delineationem eorundem moliri; quare ne credas, quæso, omnes ramulorum reptatus in annexâ figurâ nonâ representari, id quod prorsus impossibile esse reor.

Notari itaque primo loco velim reptatum eorum prorsus diversum esse ab eo, qui conspicitur in membrana tenuissima capsam obducente. Secundo loco sciendum, me Mense Septembbris præteriti anni, quando demonstrationes publicas in puerorum cadaveribus, triennio abhinc balsamatione mæ vividis & nitidis conservatis, celebrarem, demonstrasse, membranam Tympani ex duabus lamellis constare, superiorem verò mensem tertiam etiam detexisse, quam in museo meo cuiilibet ostendere possum; vascula autem sanguinea non per extimam disseminali, sed prout hactenus offendere mihi licuit, per medium, ita ut conjiciendum sit, hæc vascula peculiari prospicere provinciæ, & raro si unquam communicare cum vasibus capsam perreptantibus. Porrò notandum, vas illa arte-

arteriosa per membranam Tympani densissimâ ramificatione diffusa, proprium quoque sibi vendicare reptatum; deferuntur enim à centro aut medio Tympani ad circumferentiam, trunculus autem horum centrum, aut medium adiens maximâ de parte originem suam debet ramulis Arteriarum Caroticarum externalium à latere musculi Malleoli externi incidentium. Vid. Tab. 9. Fig. 9.

Circa vascula sanguinea, membranæ tenuissimæ Capsæ seu Tympani civitatis prospicientia, mirabilem & prorsus alienum ab Authorum figuris reptatum jucundissimo nuper spectaculo in collegio privato ostendi, ceu etiam delineavi Tab. 9. Fig. 10. ubi membra illa ex Capsâ desumpta, & in planum expansa conspicitur, ut eo accuratius in conspectum producantur illa vasa.

Quæ de necessitate Periostii Officulorum auditus, Vir Experientissime, solidis argumentis edilleris, applausum merentur, & adeo Autopsia confirmantur, ut afferere Tibi queam, me Officula hæc periostio neutquam priva ante triennium vel quadriennium detexisse, idque casu, vascula enim sanguinea per dicta officula distributa, & Fig. 1. expressa, invento huic ansam suppeditabant, id quod unus ex discipulis meis, tunc temporis loco Corollarii Disputationi suæ adjiciebat.

Sed avocant cum calamo animum ad alia labores mei & negotia, quibus eo magis morem gero, quod firmiter mihi persuadeam me hisce tuis petitis pro viribus satisfecisse, dubiaque tua dissipasse, qui unicus Responsionis meæ finis erat, de quo sicuti Te certum esse volo, ita nullam prætermittam occasionem, qua notum reddere queam, quantum Te amem, quamque sincero animo sim.

Experientissime Vir,

Dab. Amstelod. die
19. Januar. 1697.

Tibi, tuisque Studiis addictus.

FREDERICUS RUY SCHIUS.

EXPLICATIO TABULÆ NONÆ.

FIGURA PRIMA

Repræsentat Ossicula auditus in situ naturali periosso munita, Vasculisque Sanguineis ditata: Suntque hic delineata multis numeris majora, ut Vasa Sanguinea eò magis sensus incurrerent.

- A. Malleolus.
- B. Incus.

- C. Stapes.
- D. Quartum Ossiculum auditus.

FIGURA SECUNDA

Eadem Ossicula proponit naturali magnitudine, idque è corpore adulti.

FIGURA TERTIA

Eadem Ossicula è capite fætus hum. jamjam nati, quæ magnitudinem in adulto ferè æquant.

FIGURA QUARTA

Quatuor proponit interruptiones Cartilagineas Nasi, lateris sinistri.

- | | |
|--|---------------------------------------|
| A. Unam ex primo & supremo pari visui exhibet. | D. Unam ex quarto pari. |
| B. Unam ex secundo pari. | E. Pars membranacea, unius pinæ Nasi. |
| C. Unam ex tertio pari. | |

FIGURA QUINTA

Nasum cum portione Ossium frontis & maxillæ superioris exhibet, cuius globus in 2 partes dehiscit, nexus membranaceo dissoluto. Suntque integumenta Nasi exteriora ablata.

- A. A. Globus in 2 partes dehiscens.
- B. Portio Septi narium.

FIGURA SEXTA

Septum Narium repræsentat, cum involucro mucoso, suisque Vasis Arteriosis, suntque dictæ arteriolæ longe plures, quam hic delineare potui.

- | | |
|-----------------------------------|-----------------------------------|
| A. Portio ossis frontis. | biens, suntque numerosiores, quam |
| B. Septum Vasis arteriosis super- | expressi. |

FIGURA SEPTIMA

Dictum septum indigitat cum suo involucro mucoso, glandulis innumeris prædicto, quarum Oscula biantia Visui sese exhibent.

FIGURA OCTAVA

Membranam tenuissimam sub involucro mucoso, seu membrana papillosa sitam, septumque Narium immediate investientem Vasisque Sanguineis instructam, demonstrat.

FIGURA NONA

Membranæ tympani Arteriosa Vascula exhibet.

- | | |
|--|---|
| A. Ramulus rami Arteriae Carotis exterioris. | B. Ejusdem distributio per membranam Tympani. |
|--|---|

FIGURA DECIMA

Reptatum Arteriolarum per membranulam capsam succingentem demonstrat.




Fig. 2.

Fig. 3.




Fig. 6.



Fig. 7.





Fig. 9.



Fig. 10.

